Illustrissimo
Zuylechemi, Selemique Domino
S. P. D.

Quasi æquum videretur in ipsis Castris tantam negotiorum molem sustinenti molestum fuisse, non tantum ibi te facilem faventemque petitioni meæ inveni; sed ultro etiam literis tuis benivolentiæ omnis plenissimis obvius jam ad te confugienti factus es, Virorum Nobilissime. Ita nec tu humanitatis tuæ, nec ego immodestiæ meæ modum fecimus. Cæterum quod Epigrammate insuper Gratium meum condecorasti, non mihi quidem ullo meo merito, nisi arrogantissimus sim, sed ipsis Gratijs (quîcum nomen participat meus ille, tu quicquid amoenitatum & leporum possident) in eo te gratificatum intelligo. Nolui, nec debui adeo illum tam insigni fraudare laureola; ne non & dicto tuo, quod imperij vice apud me semper sit, simul obtemperarem, quo jusseras olivis destinari. Destinavi sane olivis, & quidem Elsevirianis, quæ jampridem sales tuos sapiunt, nec ullo alio condimento æque lætantur aut pinguescunt. Utere ergo jure tuo, sive crasso, sive mero illo, quo & hoc tuum dicas recipiasque, quod ex te natum est, & tuum item dici patiaris, quiq in admirationem Eruditionis tuæ natus videri gestit; certe, sin minus,

Illustrissimi Nominis Tui
devotissimum cultorem

Janum Vlitium.

Dabam raptim Hagæ Comitatensis
XIV Kal.s Decembr. ∞ IↃC XLV.
Rebus Legatorum meisq. prolatis
in adventum Principis, & tuum,
qui foelix faustusque sit.

© British Library
Add MS 22953, f. 301-302
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4211

© British Library
Add MS 22953, f. 301-302
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4211

postuminio subtraheremus ; [illegible]
et imprimis reus illorum fori essent ; tum quoq statuta
Illis Scholæ, non nobis sed illis (et quidem faventibus
nobis) scripta, illis suam asserere jurisdictionem : et
cum jam aeris orta esset perq aliquot dies extrahe-

© British Library
Add MS 22953, f. 301-302
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4211

Perillustri Viro
CONSTANTINO HUGENIO
Equiti; Zuylechemij Selemijqꝫ
Toparchæ, etc. Secretiorum Con-
=siliorum Celsiss.[i] Principis Mi-
=nistro unico, &c.

in Castra.

© British Library
Add MS 22953, f. 301-302
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4211